Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31626
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

se numquam urbem illam uidisse. O inquit cantuaria, cantuaria quam amena, quam delectabilis futura es. Ecce enim uenient dies in quibus ad eam fluent ipsi sicut in presentiarum frequentant beatum Egidium, uel beatum Iacobum, uel Romam uel Hierosolimam. Hec peregrinus a Vertlimis regressus non nullis narrauit fere decem annis ante passionem patris nostri Thome martirum. Qui et iam cum audierit urbem cantuariensem crebris illustrare miraculis dixit ad dominam suam Bertram de Clocestria matronam ualde uenerabilem. Meministi domina eorum que a monacho illo a Vertlimis reuertens accepi, et que inde cum redissem retuli. At illa. Bene memini. Tunc peregrinus. Certe que tunc michi de cantuaria dicta sunt his diebus reor esse complenda. Hec et ab eodem peregrino et ab eadem matrona nobis magna ueritatis attestacione relata sunt. Quocumque spiritu hec predicta fuerint magnum cernimus ueritatis principium et tam ex miraculorum quam ipsorum frequentia compleri ea quandoque posse conicimus. Et quidem de populis de concursu amplius uidetur esse mirandum quam de miraculis, nisi quia et hoc ipsum miraculum est. Quid enim miraculosius quid mirabilius quam ut hodie hominem mundus adoret quem heri abhominabatur, ad eum hodie confugiat quem heri fugebat, eius hodie apud deum imploret patrocinium cuius heri uel ex metu terrene potestatis uel ex praua mentis malicia declinabat consortium. Istud inter miracula maxima non nullis sapientibus maximum esse uidetur. Quoniam igitur persecutionis nebula, que lucernam martiris ut supra dictum est interpolabat, deus attenuauit, et a uisionibus ad miraculorum mentionem sermo transiuit, illis omissis hec libet subnectere, ne signorum penuria somniorum nimis dicamur immorari. Quin eorum quidem dum taxat texemus hystoriam que uel oculis nostris perspeximus, uel ab ipsis infirmis iam sanatis eorumque testibus audiuimus, uel uirorum religiosorum qua ea oculis nostris perspeximus uel ab ipsis infirmis suis uiderint didicimus testimonio. Stultum est gratiam et gloriam quam dedit dominus uelle abscondere, et impietati simillimum his qui in tenebris et umbra sedent mortis gaudium lucis nolle annuntiare. Ecce namque beatissimus Christi martir Thomas mundum rursus et solito uberius illuminat. Mundo uniuerso factus est asilum, qui quamdiu fuit in mundo lux fuit mundi, et turris fortitudinis a facie inimici. Unde nec potuit mundum tenebrosum tanti solis latere occasus, nec tanta turris sonitum dare cum caderet. Fractum

est autem alabastrum in cantuariensi ecclesia et repente repleta est domus uniuersalis ex odore unguenti. At lere constantissimus gloriosusque triumphus nec aulas principum latuit nec pauperum preteriuit tugurium. Mors eius cunctis et longe remotis absque cunctatione innotuit. Flatus est rumor execrandi facinoris die tercia in multis domum de Suessia Rudberti de sancto Andrea nomine, cuius uxor Emma grauiter obpressa infirmitate luminis et iam destituta beneficio iacebat. Excecauerat enim eam ipsius infirmitatis uehementia. Audiuit mulier et conturbatus est uenter eius et cor eius contremuit, et ab imo pectoris longiora trahens suspiria, uere inquit preciosum Christus martirem fecit. Non solum martirem fecit uocauit sed et inuocauit huiuscemodi uerba subnectens. Sancte Thoma martir Christi preciose tibi me deuoueo. Si michi subtractam gratiam uisus restitueris et reuocaueris me ad salutem, locum requietionis tue adibo uota tecum muneribus oblatura. Mox in fidei flore miraculorum fidei fructus secutus est. Statim namque ac si conuisus ad eam martir uoce dominica respondisset: O mulier magna est fides tua, fiat tibi sicut uis, quasi sub hore dimidie spatio effecta compos uoti uisum recepit, et citra sextum diem a lecto surrexit. Uotum igitur assecuta uoti solutionem uel negligentia uel obliuione diutius protelauit. Correpta est iterum atque correcta grauioris flagello infirmitatis. Renouauit uotum conualuit ilico, et cantuariam una cum uiro suo et domesticis super duplicata sibi gratia gratias martiri suo actura conuolauit. Hoc fecit initium signorum Ihesus in Suessia Anglie et manifestauit gloriam martiris sui coram discipulis eius nobis qui manducauimus et bibimus cum illo, priusquam in utero uirginis et matris ecclesie pareret. Et pulchre satis die tercio sunt inchoata miracula, ut quasi sanctus mira concurrentium circumstantiarum similitudine cruci Christi conformetur, sicut proditionis et ignominie modum sustinuit, sic et accelerate manifestationis merorem et honorem.

QUINTUM Quoque anno eius de sedi gla signum fecit insignem. Longa terrarum spatia spatio temporis breuioris transcurrens apud Glocestriam eo die flebilis rumor increbruit. Erat enim illic Aaltere lundoniensis filia incipiens quasi annorum xvi. Huelina cui a quinto natiuitatis sue anno